

in eius supremo affigens substitit. Que videlicet hasta illico in arborem versa pulcerrimam adeo crevit ut summitas^{a)} eius usque ad nubes protendi videretur, sed et frondibus^{b)} ac floribus miris pomisque innumeris visu pulcerrimis referta; sedem etiam valde elegantem atque excellentem in cacumine sui sitam habebat. Denique scala latissima eidem apponebatur arbori, que usque ad tronum illum mirabilem pertinebat. Tunc duo viri illi, qui in albis apparuerunt, accedentes tenuerunt illum per manus unus ad dexteram, alius a leva, et ita eum per eandem scalam secum arborem illam conscendere^{c)} moventes, in sede eadem ab ipsis quoque coronatum ut regem sedere fecerunt. Sicque presbytero illo expergefatto, visio^{d)} illa pertransit.

IV, 8. Item aliud de eo sompnium relatum est nobis, quod in eadem prefata valle¹⁾ quedam mulier anus^{e)} vidit. Referebat enim, quod quadam nocte dormienti beata Dei genetrix Maria per sompnium sibi apparuerit. Cui conquerens dixit mulier: „Ut quid, domina, pro nobis non oras et non liberas nos de oppressione regis huius assidua?“ Respondit ei beata virgo Maria: „Non possum hoc facere, mulier, quia duo ei custodes^{f)} sunt deputati a filio meo domino Jhesu Christo, qui eum unus per manum dexteram, alius vero per sinistram ducentes ubique et semper gubernare atque protegere non desinunt, unde nemo ei resistens adversari poterit, immo ipse adversus omnes prevalens sub pedibus suis eos conculcabit^{g)}, quatinus ipsis pleniter contritis iniquitates eorum, que supercreverunt, ad purum excoquantur^{h)}.“ Sic illa. Verum interrogans dixit: „Et qui sunt illi, domina, qui eum ducentes custodiunt?“ Respondit beata virgo Maria: „Hii sunt apostoli filii mei Jhesu Christi Petrus et Paulus.“ Ad hec vetula illa^{h)} spargefacta, visioⁱ⁾ illa disparuit.

IV, 9. His igitur duabus visionibus^{j)} constat^{k)} dubium non esse Rogerium divina vere triumphasse dispositione regnique coronam ita divinitus percepisse, ut nunquam ea sit cariturus. Quam ob rem sopiantur bella, cessent contrarietates universe adversus eum. Nil utique peragit, quisquis contra eum nititur seu quid machinatur^{l)}, quoniam

a) submitas Hs. b) frontibus Hs. c) s. *übergeschr.* Hs. d) vissio Hs.
e) annus? Hs.; *Randbemerkung des 16. Jh.*: forte amodo f) so verbessert d. Hd. d. 16. Jh. aus *cistudes* Hs. g) exquotantur Hs. h) illam Hs.
i) vissio Hs. j) visionibus Hs. k) constat Hs. l) macinatur Hs.

¹⁾ Gemeint ist wohl das IV, 6 (s. o. S. 348) genannte Tal von Telese.

²⁾ Vgl. Isai. 28, 3; Ezech. 34, 19; Dan. 7, 7 u. 19.